hymn 1075 Wing B 1670 A rare. (2 copies)

CONCIO

AD

Clerum Londinenſem;

HABITA

Apud Collegium Sionenſe,

XVI CAL. JUN. A. D. MDCXCVIII.

Per GUILIELMUM BEDFORD, S. T. P.
Eccleſiarum Unitarum S. Georgii in Botolphi viculo & S. Botolphi ad portam Belini Rectorem.

Reverendo Præſide & aliis Reverendis Auditoribus Rogantibus & Hortantibus publici juris facta.

LONDINI:

Typis R. R. Impenſis GUILIELMI ROGERS ad Inſigne Solis è regione Eccleſiæ S. Dunſtani occidentalis in vico dicto *Fleetſtreet.* MDCXCVIII.

Reverendo admodum in Christo Patri

JOHANNI

Episcopo Ciceſtrienſi,

Eccleſiæ Anglicanæ ornamento & lumini eximio,

QUI

Parochiæ nupèr hâc in Urbe non ignobili,
Collegio etiam (quod indiès auctum vellemus) Sionenſi,
In Maximum utriuſque commodnm
Ut ſuæ nunc Diœceſi,
Summâ cum laude Præſidebat;

Edoardo Lake, S. T. P.

Viro multis nominibus colendo,

QUI

Per Annum proximè elapſum,
Dum Præſidis obibat munus,
Proſpero Collegii ſtatui promovendo,
Ex inſito ſibi Eruditionis,
Tam divinæ quàm humanæ,
Haud vulgari amore,
Totis Viribus Invigilabat;

Thomæ Whincop, S. T. P.

QUEM

In Præſidis locum meritò cooptatum,
Idem obnixè facturum,
Ex Animo in bonas literas & ſacram ſcientiam
Semper propenſo,

U. T.

U T

Ex aliis, quibus ornatur, egregiis
Ingenii, Pietatis, & Doctrinæ dotibus,
Fidentèr nobis ſpondere,
Nihil dubitamus;

H A N C,

Quam lucis uſurâ dignam judicârunt,
Quæque nunc

I N

Pii Autoris erga Deum Animi,
Sinceri erga Religionem Chriſtianam Affectûs,
Veri erga Eccleſiam Anglicanam Amoris,
Summi erga Viros nominatos obſequii
Teſtimonium,
Spe Boni publici promovendi,
Acutis Doctorum oculis,
Ut priùs Auribus,
Se ſubmittere non abnuit,
A Criticorum licèt Cenſuris
Multum ſibi jure metuens,

C O N C I O N E M

Dicat Conſecratque,
Præfatis Viris Venerandis,
Omnibuſque Horum ſimillimis,
Doctis & piis Chriſtianis
Addictiſſimus

Guilielmus Bedford.

E R R A T A.

P. 2. lin. 16. *lege* Epheſinum. p. 12. l. 28. *lege* is. p. 15. l. 9. *lege* Cuſpandos.

CONCIO

AD

Clerum Londinenſem.

---

2 TIM. I. 13.

Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Formam habe ſanorum verborum, quæ à me audiſti, in fide & in dilectione in Chriſto Jeſu.

IN ea Nos incidimus tempora quæ ſanam doctrinam veramque fidem minimè patiuntur; imò quæ in ipſam Religionem Chriſtianam, ſupra quàm cuique credibile ſit, qua ſunt. Quot enim ubique ferè obvias habemus, Qui præcipua Religionis capita & articulos apprimè neceſſarios flocci faciunt? Quot etiam, proh dolor! Qui totum Chriſtianæ Veritatis ſyſtema, imò quicquid uſpiàm Divinitùs Revelatum fuerit, pro anili fabula haberi volunt, quam ludibrio objicere gaudent, & non modò familiaribus ſuis privatìm, ſed & omnibus penè, quibus in plateis vel ſaltèm in locis haud minùs publicis occurrunt, deridendam proponere? Iniquos hos præſentis ſeculi mores, non magìs, opinor, ignorare poſſumus, quàm indolentèr ferre.

Quid igitur in hoc infœliciſſimo rerum ſtatu nobis, quibus *bonum depoſitum à Domino Commiſſum*, quid inquam nobis faciendum, niſi ut venienti, quantum poſſumus, occurramus morbo, in fide Chriſtianâ vindicanda fortes nos & probos viros oſtentemus, cauſámque Domini noſtri ſtrenuè ſimul & fideliter agamus, *formam habentes ſanorum verborum?* Ad nos enim omnes æquè ac ad Timotheum hoc ſpectat Apoſtoli monitum, præſertim cùm, ut planè conſtat, nunc non minùs quam olim opportunum ſit, & præſenti rerum conditioni maximè accomodum. Cogitemus igitur Apoſtolum unumquemque noſtrûm hunc in modum alloquentem, Ὑποτύπωσιν ἔχε ὑγιαινόντων λόγων, ὧν παρ' ἐμοῦ ἤκουσας, ἐν πίστει καὶ ἀγάπῃ τῇ ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ.

Ad rem noſtram impræſentiarùm non multùm facit, plura de hac Epiſtola curioſiùs inquirere: Satis eſt ſi meminerimus ad Timotheum Epiſcopum Ephaſinum ſcriptam fuiſſe, eámque plurimis refertam eſſe monitis ſaluberrimis, quibus eorum, quæ ad cujuſlibet Chriſtiani, & ad ſuum ſpeciatìm, officium ſpectant, ſeriò admonetur Timotheus, & ad eadem bona fide animoque ſincero præſtanda acritèr inſtigatur. Benè novit, licet ægrè tulerit Apoſtolus, quamplurimos ſive metu periculorum territos, ſive præſentis ſeculi illecebris irretitos, ſive levitate ingenii motos, ſive alia quacunque de cauſa à fide defeciſſe, alios eandem turpiter corrupiſſe, deque cæteris à veritate abducendis ſolicitè adhuc laboraſſe. Ut his igitur pullulantibus malis obviam iret, Timotheum, quem Eccleſiæ Epheſinæ præfecerat, admonuit, & obteſtatus eſt, ut veram quam acceperat fidem fortitèr teneret, contra omnes Adverſarios totis viribus tueretur, Animiſque eorum quibus præerat diligentèr inſtillaret, quò magìs in Doctrina Evangelica firmati & benè inſtituti ferociſſimos quoſque Adverſantium impetus invicti ſuſtinere valerent nec minimùm de loco cedere compulſi.

His potiſſimùm de cauſis Timotheum & nos omnes, quos in hac certè officii parte ſucceſſores habet, commonefacit Apoſtolus,

ſtolus, ut, id præſertìm magnoperè flagitante rerum Chriſtianarum ſtatu, muneri huic utilitèr fungendo toti incumbamus; Fidem, quam labefactare ſtudent tam multi, ſumma induſtria ſuſtentare laboremus, Et fundamenta illa, quæ ſuffodere conantur alii, inconcuſſa ſervare adnitamur.

In his igitur Apoſtoli verbis enucleandis hæc Tria præſtare non abs re fore videtur.

I. Primò ſcilicet brevitèr ut poſſumus indagare, Quid potiſſimùm per Ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων intelligendum venit.

II. Deinde officium illud conſiderare, quod in hac *ſanorum verborum forma habenda* nobis præſertìm incumbit verbi Divini Miniſtris.

III. Tum denique modum illum paucis perſtringere, quem in formâ hâc tenendâ obſervandum docet Apoſtolus, *in fide*, ſc. *Et in dilectione in Chriſto Jeſu.* Quibus pro viribus meis confectis præſenti argumento hodiernoque officio, quantum in me eſt, ſatis factum eſſe arbitrabor.

I. Ad primam igitur quæſtionem rectà pergamus, in quâ diſcutiendâ tres tantum concluſiones ponam, quibus quicquid hìc dici opus eſt comprehendi mihi videtur.

1. Primò igitur certo certius eſt Generalem ſaltem Chriſtianæ veritatis Agnitionem hic loci neceſſariò intelligendam eſſe. Hanc igitur proculdubiò vim habent Apoſtolici præcepti verba, ut ad Doctrinam, quam Ipſe prædicaverat, de Hominibus per Chriſtum Mediatorem ſalvandis ingenuè recognoſcendam & firmiſſimè tenendam arctiſſimè aſtringant. Quod omnibus credo primo ſtatìm intuitu Sole ipſo meridiano clariùs eluceſcere. Quis enim non videt, neminem hâc veritate repudiatâ vel non agnitâ dici poſſe Chriſtianum? Quis non videt è fidelium numero protenùs exulandum eſſe, ſeu potiùs exulem jam factum eſſe illum, qui hanc *ſanorum verborum formam* non tenet, nec Jeſum

esse Messiam & Filium Dei seriò profiteri sustinet? Unde est quòd pessimæ sectæ Homines & putidissimi inter nos Evangelicæ Doctrinæ corruptores, quique à vero & rationali sacrorum verborum sensu maximoperè abhorrent seduloque refugiunt, dum tamen Christianos haberi cupiunt, aliquid de Christo & de salute per eundem consequendâ credunt aut se credere fingunt, ut Apostolicam *sanorum verborum formam habere* videantur: Quam tamen subdolis suis Metaphoris & Allegoriis, & versutis verborum vix sanum sensum capientium involucris aliorsùm detorquent, adeò ut nullus dubitem, quin eodem artificio, si è re sua esse judicarent, pro veris Judæis aut Mahumedanis se venditare possent, & fortassè vellent.

Sed missis incertis hujusmodi & lubricis hominibus, quos haud facilius est constringere, quam anguillas manu tenere, Alii sunt Christiano nomine vix multò digniores, Qui huic *sanorum verborum formæ* mordicùs adhærere præ se ferunt, & Jesum esse Messiam aut forsàn Mediatorem agnoscere non dedignantur; Quid autem sit Messiam esse aut Mediatorem agere, vel quid pro salute humanâ operatus aut passus fuerit servator noster, minimè curandum, vel saltèm non necessariò perquirendum aut sciendum esse docent. His satis est si Quis sine ulteriore disquisitione Jesum esse Messiam dicat, adeò ut Qui nudæ huic propositioni assensum præbet, quod ad fidem attinet, verus sit, si non omnibus numeris absolutus, Christianus & orthodoxus pleno jure audiat. Hos autem ut pro Christianis agnoscam ægrè admodùm me patiar adduci, & si quid sibi propositum habent conjecturis assequi liceret, judicarem illos non optimo animo sed callido Consilio agere, quò faciliùs Christianæ Religionis arcem tectìm & ementito Amicorum Nomine subruant, quam vi apertâ & hostili facie accedentes se dejecturos minimè possunt sperare.

2. Dico igitur secundò, sub nomine ὑποτυπώσεως ὑγιαινόντων λόγων intelligi debere singula Religionis Christianæ principia, quæ strictè & absolutè fundamentalia sunt, ut vocari solent.

Quæ,

Quæ ſcilicet ad Religionis hujus eſſentiam pertinent, adeò ut his non intellectis nec rectè intelligi poſſit Religio Chriſtiana, nec ritè explicari quid ſit per Chriſtum Mediatorem æternæ ſalutis participes fieri, aut quo tandem modo hæc ſalus conſequenda ſit. Horum fundamentalium etſi non magnus ſit numerus, major tamen eſt, quàm volunt iſti, Qui fidem Chriſtianam intra unicæ hujus Aſſertionis limites, quâ Jeſum eſſe Meſſiam affirmatur, coarctare moliuntur; quaſi hæc ſola propoſitio creditu ad ſalutem neceſſaria eſſet, ita ut ſi quis huic ſe aſſentiri profiteretur, quicquid tandem de reliquis fidei Chriſtianæ capitibus ſentiret, pro vero Chriſtiano habendus eſſet. Hi pro moderatis Hominibus & eximiis Chriſtianæ charitatis cultoribus apud populum ſeſe venditare ſolent, apud quos tamen me facilè excuſatum iri ſpero, ſi cum illis minimè ſentire poſſim. Quid enim? Charitatis eſt Chriſtianæ fidem Chriſtianam ſubvertere? An ad ſolam denuò Religionem naturalem revocanda Chriſtianitas, quò plures fiant Chriſtiani? quaſi nihil referret, ſi nulli reverà eſſent Chriſtiani, modò omnes eo nomine fruerentur. Fidem in Jeſum Meſſiam fundamentum eſſe Religionis Chriſtianæ facilè agnoſcimus, ut dicit Apoſtolus, *Aliud fundamentum nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*, 1 Cor. 3. 11. Sed à Chriſtianis noſtris qui in nullius verba jurati cogitandi libertatem adeò jactant bonâ cum veniâ quærere liceat, An nudo horum verborum ſono acquieſcendum? an ulteriùs in ſenſum oporteat inquirere? An neceſſe non ſit Chriſtianum noviſſe Quid per Meſſiam volunt ſcripturæ, Quid facturus & paſſurus erat Meſſias, ut remiſſionem peccatorum & vitam æternam à Deo populo ſuo impetraret, & an hæc fecerit & paſſus fuerit Chriſtus noſter? Nihil mihi tam mirum videtur quàm ut hæc cognoſcendi & credendi neceſſitatem neget Aliquis, qui & eodem tempore in aliquo apud ſe pretio eſſe Religionem Chriſtianam profitetur.

Sacras Novi Teſtamenti Scripturas æquo animo & ab omni præjudiciorum genere libero conſulenti, facilè occurrunt alia quædam Divinorum Authorum Dictamina, quæ tanquam principia ſcitu neceſſaria & omnino credenda proponuntur. Speciatìm autem obteſtari vellem hos Homines, ut non gravarentur ſeriò perpendere, id quod dicit Apoſtolus, *Heb.* 6. 1, 2. *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur; non jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis & fidei ad Deum, Baptiſmatum Doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum & judicii æterni.* Hìc mihi videre videor fundamentales quaſdam Veritates diſertis verbis aſſertas & eo nomine nobis commendatas, quibus ſpretis aut neglectis nefas eſt pro Chriſtianis nos venditare, præſertìm ſi Apoſtoli judicio ſtandum ſit. His quidem agnitis non æquum eſt ut Doctrinâ Chriſtianâ perfectè protinùs imbutos eſſe cenſeamur, exigit enim Apoſtolus ut his poſitis & benè firmatis fundamentis *ad perfectiora feramur.* Quid igitur ſentiendum de illis, quóve in loco habendi ſunt, Qui ne hæc quidem *elementa exordii ſermonum Dei* ut vocantur 5. *Heb.* 12. agnoſcere volunt ?

Sed quid refert in his diutiùs hærere & omnia quæ in hac cauſa dici poſſunt dicendo tædium vobis creare, dum id operoſiùs probare aggredior, quod à nullo quantum ſcio nec Chriſtiano nec Infideli negari ſolet, niſi ab amphibiis quibuſdam & monſtroſis hujus ſæculi Chriſtianis, Qui ipſi fortaſſe non probè norunt, utrum pro Chriſtianis vel pro non Chriſtianis haberi mallent ? Satis patet omnibus qui videre volunt, Evangeliſtas & Apoſtolos pro Doctrinis neceſſariò credendis nobis propoſuiſſe Reſurrectionem Chriſti, Divinam ejuſdem Naturam, S. Spiritûs auxiliatricem gratiam, Reſurrectionem mortuorum, ſupremum judicium per Chriſtum Mediatorem adminiſtrandum, Vitam in Cœlis æternam, Aliáque quædam Evangelicæ Doctrinæ capita, quæ nunc nec locus eſt nec juſta cauſa minutatìm perſequendi.

quendi. Unde manifeſtum eſt quaſdam eſſe Religionis Chriſtianæ fundamentales veritates præter unicam illam propoſitionem, quâ *Jeſum eſſe Meſſiam agnoſcimus.*

Nihil hìc mihi occurrit opponendum, quod ſpeciem aliquam gerit argumenti, niſi fortaſsè dicatur, Apoſtolos cùm Evangelium prædicabant, de ſolâ fide in *Jeſum Meſſiam* ſe ſolicitos oſtentaſſe, nec aliud à proſelytis poſtulaſſe, quò baptiſmi fierent capaces, quàm ut *Jeſum eſſe Chriſtum* agnoſcerent.

Cui tamen facilè reſpondetur. Hunc enim primum eſſe & præcipuum fidei Chriſtianæ Articulum, &, ſi ritè intelligatur, brevem quandam totius Evangelicæ Doctrinæ ſummam apud nos in confeſſo eſt; ultrò etiam iis largimur, idoneum & Apoſtolorum inſtituto maximè accommodum fuiſſe, ut hanc imprimis veritatem, tanquam fundamentum cui cæteræ omnes inædificandæ erant, proſelytis proponerent, eorúmque animis altiùs infigendam curarent, Qui de hac plenè perſuaſi, æternæ ſuæ ſalutis plurimùm intereſſè proculdubiò arbitrarentur, Doctrinam ejus altiori indagine perſcrutari, & quicquid ab illo dictatum fuiſſe conſtaret ambabus ulnis amplecti. Hoc ipſum igitur concedatur, Apoſtolos à proſelytis baptizandis nihil aliud exegiſſe, quam ut fidem in Jeſum Chriſtum profiterentur. Quid inde colligere poſſunt Homines arguti cæteríſque omnibus naſutiores? Nihil ſanè quod ad rem ſuam facit. Vix enim ac ne vix quidem dubitare licet, quin Apoſtoli Jeſum prædicantes, Qualis etiam Ille erat Meſſias & quid fecerat aut facturus erat Mediatoris Vices ſuſtinens explicatum dederint, & Hiſtoriam breviſſimam ſaltem vitæ ejus & mortis tradiderint, unà cum cæteris omnibus quæ ad juſtam faciebant cognitionem muneris iſtius quo hominum causâ fungebatur. Proindè igitur cùm Jeſum eſſe Chriſtum faſſi ſunt proſelytæ, talem proculdubiò faſſi ſunt Chriſtum, qualem prædicaverant Apoſtoli, Eum ſcil. Qui à Deo Patre miſſus erat, ut Homines in gratiam ſecum reduceret, Qui verus

erat

erat Propheta, verus Homo, verus Deus, Qui peccata mundi morte ſua expiaverat, à mortuis reſurrexerat, & in Cœlum aſcenderat, &c.

Quid autem ſi ulteriùs concederemus, Aliquos harum rerum neceſſarium cognitione non ſatis imbutos ſacro baptiſmate tinctos fuiſſe, & in Album diſcipulorum relatos? Nulla vi hinc extorqueri poteſt quod volunt Adverſarii; nihil enim obſtat quò minùs Aliquid Veritatis Evangelicæ poſt Baptiſmum neceſſariò diſcendum reſtaret, Quod (Vitam largiente Deo) negligi, multò minùs diſertè negari aut opponi, ſine æternæ ſalutis periculo non poterat.

Quædam igitur Alia ſunt (præter Unicam de *Jeſu Meſſia* propoſitionem) vi fœderis Evangelici ab iis neceſſariò credenda, Qui ſalutem per Chriſtum ſperare audent, quæ fundamentalia vocamus Religionis Chriſtianæ capita. In quorum cenſum jure venit, quicquid cum Doctrina de ſalute per Chriſtum impetranda tam arctè cohæret; ut eodem rejecto Doctrina illa, prout in ſacro Codice exhibetur, rectè intelligi non poſſit; quicquid tanti eſt in Religione Chriſtiana momenti, ut eodem ablato totum protinùs ædificium corruere videatur & novam omnino faciem induere Religionem noſtram; quicquid denique ejus eſt generis, ut eodem amoto natura fœderis Evangelici haud explicanda ſit, nec facilè dicendum, quantum à Religione naturali diſcrepat Chriſtianâ. Hujuſmodi igitur Articulos, quibus ſpretis aut neglectis nullo modo æqua & juſta haberi poteſt Religionis Chriſtianæ ratio, fundamentalium Principiorum titulo inſignimus, quo etiam nomine veritates quaſdam dignatur Apoſtolus, quas ab initiandis aut nuper initiatis, *Infantulis ſcil. in Chriſto*, ignorari non ſuſtinet.

Quænam autem hæc ſunt tam neceſſaria fidei capita nunc non eſt acuratiùs perquirendi locus, nec ſatis eſt otii ad eorum ineundum numerum. Si quis autem ſymboli Apoſtolici Articulos, prout etiam in Nicæno plenius explicantur, huic velit examini ſubjicere, ſingulos, ni fallor, hoc

hoc titulo decorandos haùd ægrè pronuntiabit. Quid igitur dicemus? *formam ſanorum verborum* quam innuit Apoſtolus Symbolum fuiſſe nunc dictum Apoſtolicum? Hoc utique non audeo affirmare, vix tamen dubitare poſſum, ſummam aliquam fidei Chriſtianæ Symbolo huic non diſſimilem, nec ab eodem ſenſu diſcrepantem, apud Timotheum, ſicut & in reliquis quas fundaverat Eccleſiis, reliquiſſe Apoſtolum, ad quam tanquam ad normam Timothei ipſius Aliorumque omnium exigenda erat Doctrina, à quâ quicquid uſpiàm abhorrebat, quemcunque tandem habuit Authorem, protinùs rejiciendum & pro falſo impioque Dogmate damnandum, cujus igitur ſempèr memorem eſſe eidémque ſedulò adhærere jubet Timotheum.

3. Sed cùm præter hæc fundamentalia Religionis Chriſtianæ Dogmata Alia etiam ſint, quæ ſcire noſtrâ plurimùm intereſt, quæ ad Pietatem fovendam augendámque maximi ſunt momenti, quæ denique ad pleniorem Religionis noſtræ cognitionem & naturam ejus penitiùs intelligendam non parùm valent, dici fortaſsè non immeritò poteſt, Hæc etiam ſub *formâ ſanorum verborum* comprehendi debere, quæ diligentèr inveſtigare inventáque firmiſſimè tenere quemlibet decet Chriſtianum. Plurimas enim in Sacro Codice obvias habemus & levi operâ diſcendas Veritates, Quæ etſi ſine omnimodâ Religionis Chriſtianæ ruinâ aut *eſſentiali*, ut dicunt, *mutatione* abeſſe poſſint, ad vitam tamen rectè inſtituendam, & ad Doctrinam Evangelicam acuratiùs explicandam magno uſui eſſe poſſunt, imò his de cauſis in tantum neceſſariæ ſunt, ut eaſdem ignorare & oppoſitis implicari erroribus nemini tutum ſit.

Cujuſlibet igitur Chriſtiani eſt S. Scripturas pro ingenii ſui modulo & pro occaſionibus oblatis diligentèr ſcrutari, ut non modò in Doctrinis planè fundamentalibus, ſed & in his utiliſſimis & fundamentalibus proximis, benè inſtructus ad pietatem pleniùs erudiatur & acriùs excitetur. Cordati enim viri eſt non quid tutò ignorari poteſt quærere,

ſed ad omnium, quæ utiliter cognoſci poſſunt, ſcientiam anhelare, quò meliùs ad regnum Cælorum inſtruatur, & longiùs extrà Apoſtaſiæ periculum collocetur.

Si quis hic expectaret horum Dogmatum catalogum attexendum, fruſtrà ſanè eſſet. Iniquum enim eſt ut id à me exigatur, quod non ſolùm ſupra mearum virium modulum eſt, ſed & planè ſuprà præfiniti temporis modum. Satìs eſt igitur, quod & ſuprà feci, monere, ut quilibet Scripturas diligentèr ſcrutetur, aptiſſima quæ præ manibus ſunt adminicula ad verum ſenſum eruendum adhibeat, quæ ex Scripturis evidentèr colligit pro veris amplectatur, eáque quò magìs pietati augendæ, Religionis Naturæ explicandæ, Bonitati aut alii cuicunque perfectioni divinæ illuſtrandæ inſerviunt, eò pluris æſtimet & arctiori teneat amplexu, nec Doctrinæ alicui faciles præbeat aures, quæ Sanctitati Vitæ adverſatur, aut Deo aliquid Bonitate ſuâ indignum affricare videtur.

II. De *forma ſanorum verborum* ſatìs jam dictum arbitror: Proximum quod ſe contemplandum offert, officium eſt illud quod in hac *forma habenda* nobis incumbit Verbi Divini Miniſtris, à quibus omnibus exigit Apoſtolus, ut *formam ſanorum verborum habeamus.* Æquum ſanè non eſt, ut vos docendi vel monendi munus in me ſuſcipiam, & Arrogantiam fortaſsè nimìs ſapere videatur de officio veſtro pro ſuggeſto apud vos agere, quod equidèm invitus facio, ſed cùm hùc me ducat ipſe Textus, cùm conſuetudini litandum ſit & aliquid pro more dicendum, Hoc intactum præterire non potui. Inſupèr etiam ex notâ mihi humanitate veſtrâ augurari licet, vobis non moleſtum futurum, ſi illa eadem à me audiatis, quæ vos non modò acuratiùs intelligitis ipſi, ſed & pro occaſionibus oblatis navitèr & aſſiduè facitis.

De noſtro igitur hac in re officio vobis permittentibus verba faciens, Quid ſit *formam ſanorum verborum habere* brevitèr deſpiciam; ulteriùs deinde inquiram quàm graves cauſæ

nunc

nunc præſertìm temporis ad officium noſtrum hac ex parte diligentèr faciendum nos impellunt, quidque nobis uſui eſſe poſſit ut munus hoc fœliciùs & majore cum fructu obire valeamus.

1. *Formam* igitur *ſanorum verborum habere* hæc tria potiſſimùm dicit. 1. Ut has veritates evangelicas firmâ fide noſmet ipſi amplectamur, ab earum profeſſione nullo metu, nullis minis, nullâ vi, nullâ arte dimovendi. Hoc omnium Chriſtianorum eſt, multò magìs noſtrum, Quos par eſt cæteris in omni bono opere & fidei conſtantiâ præire, iiſque tàm exemplis quàm documentis ſtimulos adjicere. Quanto cum zelo, quàmque vehementibus obteſtationibus hanc in fide Chriſtianâ conſtantiam mandant nobis ubique Apoſtoli, nulli ignotum. Hanc Timotheo pro Apoſtolicâ ſuâ Authoritate in hâc ſæpius Epiſtolâ injungit Divus Paulus, maximiſque rationum momentis juſſa ſua confirmat. Quod idem etiam in quamplurimis reliquarum Epiſtolarum locis factum videre eſt: nihil enim frequentiùs occurrit legenti quam hortatus, monita & præcepta quibus id ſedulò agitur ut, *in fide fortes ſimus*, *confeſſionem teneamus*, *fidem ad finem uſque teneamus*, &c.

Nihil igitur ut neç metu periculorum ſeu convitiorum de Chriſtianâ Veritate remittendum, ità nec ut Aliorum voluntati obſequamur; nihil in fide vacillandum, ne apud iniquos fortaſsè rerum æſtimatores rigidi nimis & ſeveri habeamur; nihil denique de Apoſtolorum doctrinâ, etſi ea fortaſsè ſit quæ in ſolis Epiſtolis tradi contigerit, decedendum, ut apud tepidos hujus Seculi Chriſtianos benè audiamus, Qui Eccleſiam noſtram ad Laodicenſis exemplar, reformare ſtudent: Quod eſt grande illud opus quod hujus ævi Heroes tantoperè ſpirant. In maximum enim Eccleſiæ damnum neceſſariò tandem cedet, ſi fidem Catholicam ſpecioſo *Charitatis* vel *Moderationis* nomine decepti imprudentes prodamus. Non tanti certè eſt hujus falſæ *Charitatis* gloriola ut eandem veritatis jacturâ ſoliciti aucupemur.

2. Sed ut *formam ſanorum verborum*, eo quo nos decet modo, *habeamus*, neceſſe eſt, ut eandem omnes doceamus quorum cura nobis demandata. Noſtrum eſt quantum poſſumus providere, ne quis è populo noſtro neceſſaria ignoret vel etiam utilia Chriſtianæ Religionis documenta. Noſtrum eſt ſalutiferæ Doctrinæ nihil præ metu, aut præ adulatione, nihil aut Magnatum favoris, aut popularis auræ captandæ gratiâ celare. Nobis non licet in Concionibus noſtris (quod in fabulis ſuis faciunt Poetæ) id unum intendere ut populo placeant, ſed nobis omni ſtudio agendum ut proſint quæ dicimus ; vera igitur & ſana quæ ſunt Dogmata, ſive præſentis ſeculi ingenio accommoda ſint, ſive non nobis ſemper prædicanda. Hoc ex omnium Apoſtolorum praxi, & ex ipsâ muneris ſacerdotalis naturâ facilè diſcimus, ſicut & ex frequentibus quæ in Sacro Codice occurrunt monitis, quibus cautum eſt, ut *fideles ſimus Diſpenſatores*, nec *concilium Dei aliquâ ex parte celemus*, &c. Quæ nunc plurima congerere apud vos præſertim perorantem, vetat ratio, nec ſinit tempus.

Quod ad Dogmata attinet fundamentalia ex jam dictis plùs ſatìs manifeſtum eſt, in iis ſemper inſtruendum eſſe populum nullâ habitâ temporum ratione, an ferre poſſint vel non ; quicquid enim aut ferunt aut averſantur præſentis temporis mores, Religionis Chriſtianæ ingenium non magis pati poteſt, ut iis privetur populus, quàm Hominis fert Natura ut quotidiano fraudetur pane. Quod autem ad tertii ordinis Dogmata ſpectat, nec illa ſunt temerè aut pro arbitrio noſtro ſupprimenda, licèt iis aliquando fortaſsè poſſit eſſe rerum ſtatus, ut de quibuſdam horum tacere præſtet quàm importuniùs diſputare, & prudentis ſit ac Reipublicæ Chriſtianæ ſaluti conſulentis ſilere potiùs quàm quæſtionem intempeſtivè movendo lites concitare & veritatem præfractè nimis & pertinacitèr aſſerendo Hominum animos exacerbare. Sed de hâc re, ſi tempus ſufficeret, opportunior poſthæc eſſet differendi locus.

Sed

Sed & in Doctrinâ Christianâ explicandâ ad populi emolumentum non minimi ponderis esse videtur, ut ad veritatem stabiliendam illustrandamque proponantur argumenta, ea præsertim quæ sunt maximè obvia, intellectu facillima, & plebis ingenio aptissimè conformata, ut ità sciant omnes, si velint, non modò quid credunt, sed ob quas etiam causas. Hæc utì arbitror aliquandò saltem inculcanda, apud illos etiam qui in fide orthodoxâ firmos esse præ se ferunt, & fortasse sunt. Æquum enim est & simul utilissimum, ut cuilibet pro ingenii sui modulo fidei suæ ratio innotescat, ità ut pro explorato habeat & certus ipse sit se non errare, & secundùm Apostoli monitum *paratus semper sit ad satisfactionem omni poscenti eum rationem de eâ, quæ in illo est, spe.* Hoc sanè omnes quà homines sunt & rationis participes summoperè decet; magno insuper usui esse potest adversùs Hæreticorum & Atheorum insidias, qui opportuna, quæ semper captant, tempora nacti fidem solent eorum nullo penè labore subvertere, quibus, sanam licèt & Orthodoxam jactantibus Religionem, vix alia unquam audita fuit aut cogitata fidei suæ causa, quàm quòd ita credi solet.

His igitur de causis iniquum semper duxi, illis auscultare qui Concionatoribus vitio vertunt, quòd Religionis Christianæ veritatem argumentis astruere & fundamentalia fidei capita Sacrarum Scripturarum testimoniis confirmare aliquandò laborent, quasi futilem & non necessariam navarent operam, & auditoribus sine fructu tœdio essent, tempus & vires perdentes ea probando, quæ in dubium vocaturus est nemo. His inquam monitoribus auscultare iniquum semper duxi, nihil enim fidei Christianæ conservandæ & corroborandæ magis inservire mihi videtur, quàm ut intelligant singuli, quàm sit illa veræ rationi consentanea & quàm nunquàm concutiendis stet suffulta columnis. Quæ quidem res ut in plurimorum animos sese penitùs insinuent, altáque ibidem agant radices, opus est, ut easdem sæpiùs

incul-

inculcemus, quâ poſſumus curâ illuſtremus, & allatis rationibus confirmemus.

3. Inſupèr etiam ut illibata teneatur ſanorum verborum forma, curandum eſt, ut, ſi quandò opus fuerit, contra petulantes Adverſariorum impetus defendatur. *Atheorum*, *Deiſtarum* & *Hæreticorum* objectiunculis reſpondendum eſt, & exceptionibus obviandum, cavillationes eorum diluendæ, & ſophiſmata redarguenda, ne imperitis fortaſsè fucum faciant, & profanæ novitatis venenum latiùs ſerpens quamplurimos contagio ſuo imbuat. Quod in peſtilentiſſimâ inter nos Hæreſi accidiſſe in promptu eſt obſervare, quæ non aliud eſt quàm Deiſmus, ſi non Atheiſmus, ſpecioſo Chriſtianitatis titulo velatus, cum quâ vix aliquid præter nomen commune habet. Hæc enim in lucem primùm prodiens jure contemnenda viſa eſt, & haud aliâ reſponſione quàm levi riſu excipienda, Inſania potiùs quàm Hæreſis appellanda. Quæ igitur impia Antiquarum Hæreſium colluvies, ipſis Valentini & Gnoſticorum deliramentis haud ſecunda, cùm diu neglecta fuerit & indigna habita, in quâ refutanda oleum & operam perderent Docti, & tempus illud inſumerent quod rebus majoris momenti aliàs impenderetur, ad iſtam tandem accrevit molem, totque ſibi aggregavit fautores, non ex infima ſolâ plebe, ſed ex iis qui ſupra profanum vulgus ſe ſapere exiſtimant, ut præ omnibus aliis quæ inter nos hodiè vigent Hæreſibus, ipſo fortaſsè Deiſmo & Socinianiſmo, maximè formidanda ſit.

Si igitur veritati Chriſtianæ & ſanæ fidei conſulere velimus, opus eſt, ut oppugnantium conatibus pro virili obſiſtamus; tela, quibus audentèr fidunt, de illorum manibus extorqueamus; Argumentorum, quæ inſolentèr jactant, aciem retundamus, Hominumque qui clamoribus potiùs quàm rationibus rem agunt, audaciam reprimamus. Monſtrandum eſt quàm nullis aut infirmis inſtructi copiis in Religionem Chriſtianam bellum movent, quàm omnibus veræ Doctrinæ & Rationis deſtituuntur auxiliis, quæ tamen pro ſe militare

uſque-

uſquequaquè clamant, quibuſquè freti Sacrarum Scripturarum Authoritati omnimodam ruinam Thraſonicè minitantur, & apud imperitos quaſi confecto bello glorioſos ante victoriam agunt triumphos, Homines qui Modeſtiæ ſimul cum Ratione valedixerunt. Quô jure hæc à nobis façienda ſint liquet ex Apoſtolo, qui 1*Tit.* 9. vult, ut Epiſcopus *potens ſit eos, qui contradicunt, arguere.*

Hæc autem quæ dicta ſunt nollem ut à quopiam ità acciperentur, quaſi aliquos inter nos hâc ex parte culpandas eſſe putarem, non enim eò ſpectant, cùm planè credam (quod non ſine ſummâ voluptate animo meo frequentiùs obverſatur) nullibi inveniri poſſe magìs juſtas & ſtrenuas fidei Catholicæ adverſus Hæreſes ingruentes vindicias, quàm quæ ab Eccleſiæ noſtræ alumnis, cum rerum ratio poſcit, exarari ſolent. Sed ideò potius à me allata ſunt, ut illis ſatisfieri poſſit, aut ſaltèm ut Animi noſtri magìs obfirmentur contrà immeritas eorundem reprehenſiones, qui nos hâc de cauſa tanquam litis cupidos & inanium controverſiarum amantiſſimos nonnunquàm redarguere ſolent, & in nos ſpretæ pietatis culpam rejicere, quaſi ex iſtiuſmodi fidei Chriſtianæ vindiciis plus ſempèr detrimenti, quàm utilitatis, accreſceret, & totus ille animorum ardor, qui pietati fovendæ inſumendus erat, in fumos hos & vapores abiret. Fateor equidèm noſtrum non eſſe objectiones contrà fidem anteà inauditas excogitare, aut dormientes & ſopitas reſuſcitare, ut iiſdem ſatisfaciendo inanem aucupemur gloriolam, aut intemperanti diſputandi pruritui plùs ſatìs indulgeamus, hoc enim eſſet Eccleſiæ damno noſtræ vanitati litare. At certè cùm in Veritatem Chriſtianam malitioſi ubique inſurgant hoſtes, cùm in Eccleſiam Catholicam petulantèr involent conjuratorum *Hæreticorum* cohortes, cùm denique ad eandem opprimendam funditúſque delendam junctis viribus ruant *Atheorum*, *Deiſtarum*, *Socinianorum*, &c. inſolentes turmæ; Horum non reprimendam eſſe audaciam, horum non caſtigandam eſſe petulantiam, horum denique perverſis

perverſis ſophiſmatis & argutiis nihil opponendum eſſe, nemo quidem niſi ipſe in Religionem Chriſtianam paulò iniquior affirmare vellet.

2. Jam verò ulteriùs diſquirendum, quàm graves cauſæ nunc præſertìm temporis ad officium hâc in parte diligentèr faciendum nos impellunt. Mitto hìc neceſſitatem illam, quæ ex Dei mandatis nobis ſempèr incumbit, quamque ex ſupradictis ſatis evictam crederem, ſi opus eſſet ut evinceretur; cætera etiam prætereo, quibus perpetuò tenemur aſtricti, vincula: Non alia nunc ſtatutum eſt attingere argumenta, quàm quæ ex præſentis ſeculi moribus deſumpta ſunt. Ubi haud alienum puto eorum qui veritati Chriſtianæ adverſantur numerum conſiderare, malitiam, audaciam, diligentiam & aſtutiam unà cum plurimorum etiam è populo Levitate, qui in quodam quaſi æquilibrio ſtare ſeu potiùs ad Infidelium aut Hæreticorum partes propendere videntur. Quæ quidem omnia, ſi æquâ lance penſitentur, ſatis ſuperque manifeſtum faciunt, quàm aſſiduâ utendum ſit operâ, ut fidem ſervemus intemeratam & tutam præſtemus ab eorum inſultibus, qui præ foribus ſemper adſtant hoſtili odio armati, & gregi devorando perpetìm invigilantes.

1. Quot ſunt qui ſacro olìm Fonte abluti, Chriſtum jam reſpuunt Ducem, & fidem priùs datam violantes ipſi Religioni Evangelicæ bellum indicunt internecinum, haud equidèm ſatis ſcio; multos tamen eſſe nemo inficias ibit, qui oculos aliquandò foràs emittit, & quid extra ædes ſuas, & dicitur, & agitur, ſtudioſiùs obſervat. Præter quos & alios etiam invenire quamplurimos haud difficile eſt, qui verbo tenus Chriſtum agnoſcunt, Fidem Orthodoxam pro nihilo habentes aut peſſimis erroribus depravantes. Prioribus ſeculis unum alterumve, aut paucos fortaſsè extitiſſe audivimus, qui Sacrarum Scripturarum Authoritatem tollere aut imminutam ire audebant, & Evangelicas Veritates

aut

aut ſcitu aut creditu indignas pronuntiare, at rara olim nec quotidiè viſa iſtiuſmodi monſtra. Hâc verò ultimâ temporum fæce monſtroſa hæc frequentèr occurrunt humani generis propudia, lethiferum ſuum virus liberè evomentia, & venenum longè latéque ſpargentia, adeò ut ubique ferè cum novis Julianis, Celſis, Lucianis Porphyriíſque verſemur, aut certè cum Religionis noſtræ hoſtibus, qui Antiquis illis nullâ re inferiores ſunt, niſi fortè Ingenio & Doctrinâ.

2. Hoſtes enim qui Religionem Chriſtianam aut vi apertâ adoriuntur, aut ex occulto eidem ſtruunt inſidias, non numero ſolo formidandi ſunt, ſed & inveterato odio incredibilíque malitiâ, quibus actos eſſe nimìs conſtat. Adeò enim omnes qui veritati Chriſtianæ fortitèr adhærent, aut illos ſaltem qui eandem in ſe recipiunt defendendam, acerrimè oderint, ut gravi aliquo ſupplicio (uti ſuſpicor) afficiendos haud ægrè pronuntiarent, ſi pro arbitratu ſuo agere daretur, quicquid olìm de perſecutione conqueſti, aut hodiè de moderatione gloriati. Cujus rei non alios opus eſt accerſamus teſtes, quam malitioſa & iniqua convitia, omne genus calumnias, & maledicta, quæ in Religionem Chriſtianam, ejuſque ſinceros fautores, in Eccleſiam præſertìm Anglicanam ſine rubore quotidiè eructant. Hæc cum aliis penè innumeris malitioſi Animi indiciis, tam in ſcriptis publicè emiſſis, quàm in ſermonibus familiaribus haud infrequentèr ſe produnt.

3. Eò enim jam ventum eſt Audaciæ, ut odium ſuum & Religionis contemptum, inſpectante Sole & adſtante vulgi coronâ profiteri non verentur, Homines flagrantiſſimo impietatis zelo ad furorem uſque accenſi. Hinc eſt, quòd nullâ nec legum, nec majorum, nec humanæ Societatis reverentiâ ducti Religioni quam ab avis proavíſque receperunt legibus & conſuetudine firmatam, nullâ nec decori, nec honeſti, magìs quàm pietatis habitâ ratione convitiari audeant, & nimio maledicendi æſtu abrepti in eandem publicè declamitare. Profanum hoc inſaniæ genus latibula

olim quærere & ſpeluncis caput abdere ſolebat, hominum, niſi paucorum fortaſsè quos familiares habuit, aſpectum fugiens; hodiè verò occultari dedignatur nec tenebris aut nubibus tectum obambulare diutiùs ſuſtinet, ſed in publicis hominum Cœtibus inſolentèr ſeſe efferens barbarum edit clamorem, & in Adverſarios, hoc eſt, Chriſtianos omnes immodeſto ore deblaterat.

4. Hæc quotidiè meditatur audax hominum genus; hæc nocturnâ, hæc diurnâ manu verſant, nec aliud ferè dormientium animis obrepere ſolere ſuſpicio eſt. Omnem enim movent lapidem ut Religioni Chriſtianæ ſtultitiæ notam inurant, eamque probroſis quotcunque nominibus onerent. Hùc omnem animorum impetum vertunt, hùc omnia intentant ſtudia, & in hoc temporis & virium non parùm impendunt, adeò ut hunc præcipuum laborum ſuorum finem ſibi ſtatuiſſe videantur, cui promovendo idoneas nunquàm non venantur occaſiones, nec quò plures in partes ſuas pertrahant, ab ullis etiam moleſtiſſimis lucubrationibus & vigiliis abhorrent.

5. Sed ut nullâ quâ digni ſunt laude fraudemus Adverſarios, æquum eſt ut hìc loci non omnino intactam prætereamus calliditatem iſtam, quâ in populo pervertendo utuntur, ſe non imperitos eſſe fraudum fallaciarumque artifices planè oſtendentes. Inter eximias enim quibus pulchrè ornantur dotes hanc fortaſsè præ cæteris magno ſibi honori eſſe ducant. *Dolus enim an virtus quis in hoſte requirit?* Fatendum eſt igitur ex illis nonnullos variis inſtructos eſſe artibus, & in promptu habere non malè conſutos dolos, quibus populo nimis facilè imponere, & plurimorum animis paulatìm ingerere ſolent Religionis contemptum. Sed de vafris eorum artibus aliquid ſtatìm dicturi, ad illorum jam tranſeamus levitatem,

6. Qui, ut ſuprà notatum, in quodam quaſi æquilibrio ſtare videntur. Quo fato accidit neſcio, (ſed ita eſſe meliùs quàm vellem ſcio) quòd è populo quamplurimi adeò levi Religionis quam profitentur cognitione & propè nullo in

eandem

eandem affectu imbuti sint, ut Impostorum technis se facilè capiendos polliceri videantur,& quasi ultrò se offerre laqueis illorum irretiendos; adcò incerto & instabili pede stant nonnulli, qui Christianos esse dicuntur, ut levi opera dejiciendos suspicari liceat; adeò quò dirigant gressus non curant, ut in Deismi aut Atheismi devia haud difficulter divertendos jure credas. Hujus seculi homines pessimis maleficorum artibus potiùs quàm naturâ suâ ità factos esse quis non videt, ut vulgò penè credant Religionem Divinitùs institutam ipsâ naturali hoc solo jure superiorem esse, quòd legibus & consuetudine diu invaluerit; nec aliam esse causam, cur Christiani potiùs essemus quàm Deistæ, aut ab Ecclesiæ Anglicanæ potiùs quàm ab Hæreticorum quorumvis partibus staremus, nisi quia per aliquot secula ità assuefactum fuerit? hoc modo affectos esse non paucos tàm superioris quàm infimæ sortis homines, supra id quod in prioribus seculis fieri audivimus, manifestius esse opinor, quàm ut cujusvis nostrûm oculos effugerit.

Hic igitur deploratus rerum status opem auxiliúmque nostrum impensè flagitat, & id à nobis jure postulat, ut Religioni nostræ defendendæ omni quâ possumus industriâ incumbamus. Cùm inter hostes versemur quos defendit numerus, quibus auxiliatrices manus præbet populi levitas & inconstantia, quibus arma ministrat furor & malitia insanabilis, quibus vires suppeditat audacia incredibilis, quibus denique opportuna feriendi tempora monstrat astuta vigilantia, cùm inquam, tam formidandis ubique cingamur copiis, nostrum est certè pro aris & focis fortitèr agere, non enim pro veritate aliqua minùs necessaria, nec pro fundamentali Articulo uno alterove, sed pro ipsa Religionis summa, pro ipso capitolio dimicandum.

3. Ut verò munus hoc fæliciùs & majori cum fructu obire possimus, Divinum auxilium sæpiùs & supplicitèr petendum; bonarum literarum, sacrarum præsertìm Scripturarum, studiis incumbendum; curandum est etiam, ut inculpatâ vitæ sanctimoniâ quandam quasi Authoritatem & reverentiam

nobis conciliemus, & comitèr humilitérque nos gerendo eorum, quibuſcum verſamur, prout fieri poteſt, comparemus amorem; danda denique opera eſt, ut ſubtiles decipiendi artes, quibus utuntur Adverſarii, quantùm licet, nobis notæ ſint, quò apud populum iiſdem obviam ire paratiores & inſtructiores ſimus, ne venenum ſensìm & quaſi inopinantèr attrahant incauti. Sed de his non opus eſt ut vos moneam, de ultimâ tamen hâc clauſulâ vobis annuentibus pauca quædam adjicere libet.

1. Imprimìs igitur obſervare licet Religionis Chriſtianæ Hoſtes æquam quandam, ut ferunt, ſed reverà Laodicenſem, in fidei Doctrinis & definiendis & aſſerendis *Moderationem* mitis in Cœlum ipſum laudibus efferre, & effrænatam quandam ſentiendi libertatem ſtrenuè vindicare, quaſi naſcendi jure cuilibet à Deo conceſſam. Nec id ſolum petunt ut cuilibet permiſſum ſit, quodlibet de Religionis capitibus impunè ſentire & effutire, ſententiamque ſuam ipsâ licèt Hobbeſianâ monſtroſiorem ſine omni externi ſupplicii metu audactèr profiteri, ſed ut ſine Hæreſeos notâ, aut Impietatis cenſurâ, pro vero & orthodoxo amplecti poſſit, quicquid mens levis ſuggerit, ut omnes quotcunque Chriſtianorum Sectæ, niſi fortaſsè Eccleſiam Anglicanam excipiendam velint, pari jure Catholicæ habeantur, quaſi nihil intereſſet quid quiſque crederet. Hanc *Moderationem* apud populum magnificè crepant, Hanc *æquanimitatis* & *charitatis* colore dealbatam jactabundi ſæpiùs oſtentant ad eorum captandum favorem, quibus ſtruunt inſidias. Hæc enim plebi grata eſſe norunt, quæ libertati avidiſſimè ſemper inhiat, & quod ſpecioſum objicitur ſine Concilio arripit. Sed Quis non videt hæc ideo fieri, ut inter varias & oppoſitas Chriſtianorum Sectas nullo facto diſcrimine, ipſa tandem Religio Chriſtiana pro re indifferenti habeatur, & nullius eſſe momenti reputetur?

2. Aliud quo ſibi mirificè placent artificium, & quo Religioni non parum officiunt, hoc eſt: Internum cultum ſummoperè extollunt, Religionem in animo ſitam eſſe prædicant,

dicant, nec hoc malè, quicquid autem externum eſt nullius, aut ferè nullius, eſſe ponderis, nec in aliquo loco apud Deum haberi. Externam Religionem vix aliud eſſe quam meram ſuperſtitionem, & piæ mentis affectui obeſſe potiùs quàm prodeſſe clamitant. Hoc autem agunt, ut cùm conſtituta cultûs tempora & loca, præſcriptas precandi formulas, & omnes in Deo venerando publicos ritus deſpectui habere incipiat populus, Ipſa ſtatìm Religio præſertìm Chriſtiana non majoris æſtimetur, quod futurum eſſe ſine Aruſpicum ope divinare poſſunt Homines non planè cæci, nec rerum usûs omnino imperiti. Religionem enim Chriſtianam, cui duo ſaltem neceſſariò adhærent ritus externi, abſque externo cultu ſtare non poſſe ſatis ſciunt. Quò igitur tendunt iniqui, quibus externos Religionis actus inſectantur, clamores omnes credo apertè videmus, nec aliud eſſe eorum conſilium, quàm ut omnem Religionem, aut penè omnem, ex hominum animis paulatìm evellant, aut, quod pluribus perindè eſt, Naturæ ſolius dictamini, hoc eſt, ſuo cujuſque arbitrio ſubmittant.

3. Huic affinis eſt Dolus alius licèt aliquantò ſubtilior, quô populo fraudem non rarò faciunt, Morum probitatem, & Vitæ honeſtatem à concionatoribus inculcandam perpetuò clamantes, quaſi hoc non ſæpiùs eſſet & eo etiam, quo par eſt, zelo à nobis factum, quod ſanè diligentèr fieri ipſi ignorare non poſſunt. At nullas ferunt niſi practicas diſſertationes, nihil è ſuggeſto audire placet, niſi quod ad vitam in iis, quæ communi omnium conſenſu, hoc eſt, legis naturalis dictamine, pro bonis admiſſa ſunt, rectè inſtituendam facit; in his proram & puppim Religionis ponunt. Sed undè hic ſubitus exarſit probitatis zelus! undè eſt quòd tam vehementi virtutis ſtudio derepentè accenſi ſunt! Latet anguis in herba. Hoc agitur, ut de rectè credendi neceſſitate altum ubique ſit ſilentium, & de primariis fidei articulis nihil uſpiàm audiatur, quò faciliùs ex hominum animis elabi, vel arte quadam præſtigiatoriâ eripi, poſſint. Hoc nihil aliud eſt quàm pro viribus laborare, ut Servatoris noſtri

Doctrina

Doctrina vili pendatur, & omnia iterùm naturæ ſolius arbitrio permittantur, quâ duce quicquid ſibi viſum fuerit quiſque faciat, ſuum ſibi fingat virtutum catalogum, & levi operâ pientiſſimus evadat, ſi Deum fortaſsè internâ mentis elevatione aliquando veneratus fuerit, & vicinis non eximiè fuerit injurius, de cæteris interìm, quæ à vulgo, aut ab aliis qui à ſacerdotum nutu pendent, pro virtutibus haberi ſolent, parùm ſolicitus; quod à nonnullis hodiè fieri videmus, qui inter alias, quæ in *Deiſtarum* grege elucent, virtutes *fornicationi* patrocinari non erubeſcunt Homines utique probi, modeſti, verecundi. Hæc ſcilicèt decantata eſt iſta morum probitas, quam omni fidei, omni ſcientiæ, omnique evangelicæ pietati anteferendam cenſent, Quamque neglectis Religionis Chriſtianæ articulis pro concionibus continuò laudari volunt?

4. Sed ut Alia quædam, quæ ad Religionem Chriſtianam ſubruendam admovere ſolent, machinamenta brevitèr perſtringam, non tacendum eſt de piâ iſtâ fraude, quâ Sacerdotes, ipſumque munus Sacerdotale, perpetuis convitiis proſequuntur. Hoc enim ſtrenuè agunt, ut Sacerdotes calumniis probè onuſtos inſanorum Maledicorum furori objiciant, quorum linguis vipereis, non minùs quàm canum dentibus, inhumanitèr lucerandos ſperant. His in Sacerdotes probris & maledictis, tanquam ſingularibus quibuſdam elegantiis, utramque ferè libellorum ſuorum paginam ornari volunt. Nec ſatis eſt Homines, qui Sacerdotali munere funguntur, maledicentiæ ſuæ floſculis coronatos in ſcenam ſolemni quadam pompâ producere, niſi & ipſum etiam officium pari jure tractent; Hoc igitur nullius eſſe usûs etiam in Republicâ Chriſtianâ, nec unius pili æſtimandum eſſe pleno ore vociferantur. Sed undè tanta in ſpargendis calumniis ſedulitas? Unde tanta in miſeros Sacerdotes Invidia? Quis non videt Chriſtum ipſum eſſe quem per Sacerdotum latera tam impotentèr petunt? Quis non videt ſacram illius Religionem eſſe in quam tela venenata tam perverſè intorquent? Satis enim ſciunt Sacerdotali munere conculcato

Reli-

Religionem protenùs ruituram, & ipsum Evangelium apud illos non diu in pretio habendum esse, inter quos Ministerio Evangelico suus non constat honos.

5. Sed ut nobis parcant Homines placidi & mansueti minimè expectandum, cùm ne temperare quidèm possint, quin in S. nostram Matrem Ecclesiam Anglicanam audaciùs invelent, quam non verentur Tyrannidis & Arrogantiæ palàm insimulare; cujus leges, ritus, consuetudines non modò contemnunt ipsi, sed & Aliorum risui pro singulari suâ modestiâ propinant; cui denique falsis objectis criminibus vulgi odium conciliare pro summâ suâ charitate student. Hanc enim Ecclesiam planè vident munitissimam esse Religionis Christianæ arcem & fortissimum veritatis propugnaculum: Hanc vix negare possunt ad Apostolicum & primitivum exemplar proximè accedere, adeòque tutissimum sempèr fore fidei oppressæ & vexatæ perfugium. Ut igitur fidem Christianam è Gente saltem nostrâ exulatum mittant; Hæc priùs frangenda Ecclesia, hæc variis laceranda factionibus, Hujus conculcanda mœnia, hujus radicitùs evellenda fundamenta. Quæ si ex votis Adversariorum succederent, næ illi lætabundi exultarent & grandes quasi victo orbe agerent triumphos. Sed à vestrâ diligentiâ Dei favente gratiâ & principis pietate meliora sperare licet.

6. Ut aliud verò inimicorum Artificium uno verbo attingam, in mentem vobis revocandum est, quàm vehementèr in eruditionem humanam & bonarum literarum scientiam stylo suo declamatorio, Fanaticorum & Enthusiastarum more, debacchantur. Hanc Religioni obesse plus quàm prodesse, hanc Pietati impedimento esse contendunt, hanc Ecclesiæ pestem vocant, ideóque protenùs ejiciendam esse clamant, quasi in explicandâ aut defendendâ fide nullius esset momenti; cùm tamen ipsi sacrarum Scripturarum derisores illâ, quanta quanta sit, quâ imbuti sunt Doctrinâ ad earum minuendam Authoritatem abuti soleant, & ineptos sæpe numerò Criticismos tanquam tela lethifera feroci satis & minaci vultu intentare. Quod mihi sanè perquàm mirandum est, Doctrinam secula-

rem

F225497

rem ad evertendas Scripturas tanti esse ponderis, ad easdem tamen vindicandas nullius esse posse. Sed faciliorem sibi victoriam hoc artificio parare volunt Adversarii, quam citò futuram non immeritò sibi spondent, si Christianis persuadere possint à bonis literis, quasi sagittis veneno tinctis, abhorrere. Quàm vellent igitur Sacerdotes omnes ignaros esse & indoctos (quales etiam ad infamiam illis conflandam nonnunquàm depingunt, oracula enim inter se pugnantia ab hoc genus hominibus edi nihil habet in se Novi) quàm igitur, inquam, vellent Sacerdotes omnes ignaros esse & indoctos, ut de illis unà cum Religione, cujus se vindices profitentur, nullo negotio triumpharent!

Sed his aliisque Maleficorum artibus diutiùs immorari non sinit tempus, quas Nostrum est quâ possumus curâ & diligentiâ observare, quò opportuniùs iis occurrere possimus, & populum nostrum ab insidiis istis, quas sedulò fabricant Homines Maleferiati, tutum præstare.

III. De modo illo, quem *in forma sanorum verborum tenenda* observandum docet Apostolus, aliquid jam tandèm dicerem, si locus esset. *In fide* igitur, i. e. fidelitèr seu animo firmo & sincero *sanorum verborum forma tenenda est*, de quâ re satis jam dictum credo. Quod autem ad reliqua verba, viz. *in dilectione in Christo Jesu* spectat, Hæc novum fortassè nobis aperirent dicendi campum, si expatiari liceret. Nihil autem nunc dicendum puto, nisi quòd per hæc verba intelligi fortè possit charitas, lenitudo, & mansuetudo, quibus omnes etiam qui extra Ecclesiam sunt tractare oportet; sed mihi magis placet, ut hìc loci intelligatur Charitas illa quæ propriè Christiana est, quâ omnia Corporis Christi Membra peculiari complectimur & fovemus amore, ejusdemque corporis unitatem inviolatam servare studemus, id sedulò agentes ut nec Ipsi unquam, nec Alii, ab Ecclesiæ Communione recedamus. Externa enim fidelium inter se communio, quantum fieri potest, cum sanâ fide semper conjungenda, nec levi aliquâ de causâ (ut nunc sæpè fit) deserenda. Quam quidem temerariam ab Ecclesiæ communione secessionem fidei Christianæ hostibus in summum lucrum deputari, eorúmque in veritate subruendâ conatibus magno adjumento esse nullus dubito.

Officio igitur nostro secundum Apostoli monitum peragendo diligentèr incumbamus, *formam habentes sanorum verborum, quæ ab Apostolis accepimus, in fide & in dilectione in Christo Jesu*, Cui, cum Patre & Spiritu Sancto, Honor sit & Gloria in secula seculorum. *Amen.*

F I N I S.

[IV+]24pp